



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus III. Obstinatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Interrogaverunt eum: quis est ille homo, qui dixit, tolle grabatum tuum, & ambula. Joan. 5. 12. Duo paralyticus dixerat: *qui me sanum fecit, ille mihi dixit: tolle grabatum tuum.* Illi verò non quarunt, quis est ille homo, qui morbum adeò pertinacem depulit; sed, quis est ille homo, qui dixit tibi, *tolle grabatum tuum.* Salutem impertuisse, beneficii gloriam evulgasset; lectum sabbathò præcipere tollere, ad speciem virtutem minuebat: illa ergo callidè omittunt, quæ gloriosa; illa sollicitè indagant, quæ videbantur obscura. Naxera in Jol. 2. §. 52.

Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu? Joan. 8. 48. Cur Judæi Jesum vocant Samaritanum? Rupert. l. 9. in Joan. pro eo, quòd apud Samaritanos bi-duo mansit, & docuit. Joan. 4. 40. ideò Dominum Samaritanum nuncuparunt. Oculos conjiciunt Judæi ad loquelam cum Samaritana; ut inde calumnientur: non tamen considerant mirabilem conversionem. Sylveira in Joan. 8. q. 11.

§. VII.

Observa cum malis etiam bona.

Percussit statuam in pedibus ejus. Dan. 2. 34. Lapis testam tangens, & statuam evertens, sunt, qui corrigere nesciunt, nec cõer-

cere peccantes. Debueras sanè parcere testæ; quam ferrum, æs, argentum, & aurum, non solum tolerandam, sed pretiosam, in statua reddebant. Quis enim in tanta metallorum, copia testam rimetur? Sed esto; testam tan-ge, si displicet in statua; sed ita eam frange, ut non totum pariter simulacrum comminuas: reprehende in iracundo furorem; sed non ideò prudentiam, scientiam, eloquentiam, nihili ducas. Parce tot virtutibus, dum uni non parcis vitio tot virtutibus coronato. - Putandi palmites in vite; sed viti parce: excutienda à paleis grana; non verò simul ex- exure. Oliva l. 9. Strom. Percussit statuam &c.

Si proximum peccantem videris, non hoc solum ipsius considerabis; sed & quæ fecit, aut facit probè, animadvertite; per omnia expensens, & non particularia contredans. S. Basilus conc. de humilitate.

Vultis scire vim torcularium nostrorum? ut unum dicam, unde & ipsi murmurant, qui ea faciunt: quantæ, inquit, rapinæ temporibus nostris? quantæ pressuræ innocentium? quantæ expoliationes rerum alienarum? ita sanè in amurcam attenditis, quia rapiuntur res alienæ: in oleum non attenditis; quia dantur, & propria. S. August. in Pl. 80. explicans titulum pro torcularibus.

TITULUS III. OBSTINATIO.

§. I.

Symbola, & similitudines.

Num. 1.

Comparatur lapidi, petra &c.

Percutiens virgâ bis siliem. Num. 20. 11. Heu Domine Deus! quam durum est cor! non ab homine, sed à Deo; non tantum bis, sed centies, percussum est; & non emisit unam guttam, unam scilicet compunctionis lacrymam. S. Bonaventura l. 3. post D. Oct. Epiph.

Altare, altare. 3. Reg. 13. 2. Missus Propheta, ut sacrilegum regem converteret; relicto rege, sermonem convertit ad lapides dicens: *altare.* S. Chrysostr. Procem. in Il. cum lapide verba facis? etiam: quando rex est, minus compos sensum, quam lapis. Et audivit lapis; ipse lapis in scissuras diffractus est, & viciniam effudit: homo ille non exaudivit. apud Bæza t. 2. l. 8. c. 3. §. 38. Eadem verba S. Chrysostr. hic procem. priori in Il. apud Euseb. Persecut. Chr. t. 2. l. 11. sect. 1. sic referuntur: lapidem alloqueris? sic: quoniam lapide ipsò insensibilior rex. Audi altare. Audis? hæc dicit Dominus. Atque illico altare scissum est lapisque audivit: fractus est lapis, effudit libamen: quomodo non audivit homo?

Cor ejus indurabitur tanquam lapis; & stringetur quasi malleatoris incus. Job. 41. 15. Incus, quanto magis percuitur malleo, tanto magis stringitur, & induratur.

Auferam eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum. Ezech. 11. 19. id est, non cor sine sensu; sed cor cum sensu. S. August. contra Faustum c. 4. Et lib. de gratia & libero arbitrio c. 14. quia lapis sine sensu est, cui comparatum est cor durum; cui, nisi carni sentienti cor intelligens debuit comparari. Et infra: cor lapideum non significat nisi durissimam voluntatem; & adversus Deum omnino inflexibile est. apud Cornelium hic.

Montes Israel, audite verbum Domini. Ezech. 36. 1. Quid vis divine vates? Loquere hominibus, non montibus. Ob Judæorum duriciam ad res insensibiles se contulit; ut homines multò illis insensibiliores esse significaret. Diez. Concionis auditor.

Contende iudicio adversum montes. Michæ 6. 1. Citantur hic montes ut rei; eò quod in montibus erecta fuerint, & culta, idola. Licet enim populus propriè sit reus; tamen, quia is durus, & rebellis, nolebat audire prophetas, & per eos lites, & iudicium Domini; hinc citantur montes, in quibus populus peccarat. q. d. vos ò montes insensibiles magis sensati estis, quam sensibiles Israelitæ. Vos enim sentitis vocem, & iussum Dei

creatoris veltri; eique obeditis, quem illi non sentiunt. Vos ergo cito, ut incolae vestros, qui rei sunt, representetis; ut ipsi per vos audiant, & cognoscant, justam meam litem, actionem, & querelam; seque reos fateantur, poeniteant, & veniam petant. Cornelius hic.

Dic, ut lapides isti panes fiant. Matth. 4. 3. Dat mihi homo lapides pro pane, & lutum pro fide. Quid est panis, quem desidero, nisi profectus animarum, contritio cordis, pro his praestat mihi homo lapides per cordis duritiam. Satiat me lutum per impoenitentiam, & vanam confidentiam. Propterea bene conquiri possum, quod quasi mater peperit eos cum dolore passionis meae in lucem; sed ipsi magis volunt esse in tenebris l. 6. revel. S. Brig. c. 19. verba Christi. Famenti in deserto Christo non nisi lapides in cibum offeruntur. Lapis durus est, & frigidus, alimento ineptus. Sic multi hoc tempore, dum eorum Christus estur salutem, & conversionem; non nisi ei cor rebelle, durum, lapideum, siccum apponunt. O si cor eorum lapideum fiat carneum! Marchantius D. 1. Quadr.

Alia ceciderunt in petrosa. Matth. 13. 5. Per petram designatur cor durum. Haymo hom. in D. Sexag. Petrosignificat duritiam cordis. V. Beda l. 2. hic.

Tollite lapidem. Joan. 11. 39. Peccator durior lapide. Baeza t. 2. l. 8. c. 3. §. 33. Lapis superpositus, qui jubetur auferri, duritia est cordis humani: quae, nisi praecepto Domini auferatur, resuscitari non potest mortuus in peccatis. Sim. Cals. l. 5. c. 15. hic de resuscit. Lazari.

Num. 2.

Obstinatio comparatur somno.

Heli jacebat in loco suo. 1. Reg. 3. 2. Sept. dormiebat. Ostenditur ejus negligentia, & remissio animi; qui tam gravibus minis, velut tonitruis, de caelo terretis non vigilaret. Mendoza hic.

Ab increpatione tua Deus Jacob dormitaverunt, qui ascenderunt equos. Pl. 75. 7. Non minus difficile videtur, ut is, qui damnatorum poenas considerat, peccatis inhaereat; quam si quisquam indomitum equum vellet, magno strepitu auribus insonante, placidos nihilo minus somnos capter. S. August. in Pl. 75. attendat charitas, rem tremendam dico: increpatione strepitum habet, strepitus expurgati homines solet facere. Ecce quo somno dormitavit ille Pharaon, qui ascendeat equos: non enim vigilabat in corde; quia de increpatione durum habebat cor: duritia enim cordis obdormitio est. Pinna in Eccl. 1. Ethol. 8.

Dormiebat sopore gravi. Jon. 1. 5. Inter tonitrua, nec tempestas, nec venti validi, eum excitarent. Imago peccatoris obstinati.

Num. 3.

Alia Symbola ex Veteri, & Novo.

Dedit vobis Dominus, oculos videntes, & aures, quae possunt audire. Deut. 29. 4. Non quasi Hebraei non haberent oculos, aut non vidissent portenta, & beneficia sibi à Deo praestita; sed quod videntes, & audientes ea, quasi non viderent, & non audirent: quia ea non aestimabant; nec inde ad amorem obedientiam, & laudem Dei, assurgebant. Deus ergo non dedit eis aures, cor, & oculos videntes: quia ipsi ea occultaverunt illuminationi, & gratiae Dei. Cornelius hic.

Ipsi fuerunt rebelles lumini. Job. 24. 13. Similes quibusdam Aethiopiis, de quibus testatur Plinius, Herodotus; quod inimici sunt solis; quodque ad ortum, & occasum, maledictionibus ipsum impetant: nigris enim his populis nox nigra perplacet. Joan. 3. 19. *lux venit in Mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Marchantius D. Pass.

Descendi in hortum nucum. Cant. 6. 10. Nux, vel fractio nucis, symbolum & perfectae patientiae illorum, qui animas Christo lucrari, & despondere satagunt: praesertim illas, quae callum in perfidia, aut vitio aliquo longa peccandi consuetudine obduxere; ut callus hic suaviter, & sensim, referretur. Hortus nucum est anima sancta, patiens, & perfecta; praesertim quae assidue laborat in conversione peccatorum durorum: quales sunt Judaei, haeretici, concubinarij &c. Cornelius hic.

Sardi audiunt. Matth. 11. 5. Finge aliquid, qui nec maximarum campanarum sonum, nec bellicorum tormentorum boatum, nec tubarum clangorem, audire queat: an non ille littore surdior dicendus est? Hoc ipsum de peccatore quovis sentiendum est; cujus tanta surditas est, ut nec terribiles extremi iudicii verbas, nec maximarum caeli campanarum strepitum, misericordiae, inquam, & justitiae, omnibus horis auribus nostris insonantium; imò nec divinarum quidem comminationum tonitrua, audire queat: adeo, ut peccator ad Dominum jam conversus illud Pl. 37. 14. *merito usurpare possit: ego tanquam surdus, non audiebam.* Bessius D. 2. Adv.

Ite in castellum, &c. Matth. 21. 2. Castellum, quod contra Dominum, & ejus Discipulos, est animus obstinatus, propria deditus voluntati. Duo discipuli ad eum missi sunt spes, & timor. Petrus Dam. s. in Dom. Palmar. Quod est hoc castellum, nisi cor humanum? quod, priusquam Dominus ad illud veniat, cupiditatis fossa vallatur, muroque obstinationis clauditur; atque in interiori latitudine sua Babylonica turres erigitur. S. Bernardus in Als. B. V. l. 5.

Quatriduanus est &c. Joan. 11. 39. Latet in Lazari resuscitatione spiritualis suscitatio peccatoris: Lazarus namque quatriduanus, foetidus, & sepultus, peccatoris typum gerit, non cujusque; sed obstinati, indurati, corrupti:

pti: in quo ratio, mens, sensus, synderesis vitio sepulta sunt. Quatriduanus est: quoniam quatuor dies in peccato habet, scilicet consensum, opus, consuetudinem, & contemptum. S. Thom. Vill. f. 6. D. 4. Quadr.

Secundum duritiam tuam &c. Rom. 2. 5. Cor durum in Scripturis dici videtur, cum mens humana, velut cera, frigore iniquitatis obstricta, signaculum imaginis divinae non recipit. Origenes lib. 2. hic.

Ecce sto ad ostium. Apoc. 3. 20. Joachim Abb. quasi ostium quoddam apposta est duritia nostra inter Deum & nos; ut videatur non valere omnipotens ad corda nostra venire, secundum illud Evangelii: *non potuit ibi* (id est, in Nazareth) *virtutes multas facere, propter incredulitatem eorum.* Nonne Christus ad Discipulos ingressus *januis clausis.* Joan. 20. 19. cur hic pulsans stat ad ostium? quis ingressum impedit? duritia, & obstinatio humani cordis in malo, sic ostium claudit; ut ad illud Jesus non habeat ostium. *Quae conventio Christi ad Belial?* 2. Cor. 6. 15. non enim in una sede morari possunt, Deus, & demon. Sylveira hic.

Ex Variis.

Figulus tenero in luto quamvis superinducit figuram, fingit, refingit, format, obliterat: at postquam exsiccatum induruit, quam reformet, citius franget. Naxera in Jos. 22. §. 17.

Medicorum dogma est: post paroxysmum febrilem observandum, quomodo corpus se habeat: an extenuetur vel maneat in priore statu. Si enim permaneat, nec extenuetur; crisis est, febrem fore longam, vel lethalem. Ita Hippocrates l. 2. Aphor. 28. Et quid dices de peccatore, cui Deus per Evangelium, per Concionatores, per lectionem librorum, per internum conscientiae remorsum, febrem immitit; ut cohorrescat ad memoriam futuri iudicii: ad haec tamen nihil extenuari, nihil remittere de malitia, perseverare in pristino statu vitiose vitae; dicere hunc sanum, aut laborate paroxysmo, qui salutem promittat? Joan. Schönleben Disc. 26. D. 24. Pent.

§. II.

Obstinati actus, & effectus.

Surgite, egredimini de loco isto - & visus est eis quasi ludens loqui. Gen. 19. 14. Sicque concremati sunt. Instantissime conabatur Loth duos illos juvenes generos suos secum Sodomis abstrahere. Sed, ut ait glossa: pravæ consuetudinis amor eos ligaverat. O quot hodie pertinaces in orbe peccatores! qui, quia ex tot concionibus non corriguntur, Inferni ignibus comburentur. Diez conc. 2. in Communi MM.

Amovit lapidem, quò puteus claudebatur. Gen. 29. 10. Grex Rachelis non poterat bibere, priusquam Jacob putei lapidem revolveret: sic, nisi Deus de corde tollat obstinationem, flere nequimus. Holofernes aquæ

ductus occludit. Judith. 7. 6. Stella de cont. Mundi p. 1. c. 60.

Noluit intelligere, ut bene ageret. Pl. 35. 4. Monemur nec respiscimus; terremur, nec timemus; cœdimur, & perimus; morimur, & peccamus. Olival. 9. Strom. §. noluit intelligere &c.

Querit derisor sapientiam, & non invenit. Proverb. 14. 6. Janfenius q. d. derisor, id est, qui longò tempore non acquievit sapientum salutaribus monitis; sed etiam inveteratâ malitiâ obstitit veritati, & sapientiæ; iussu Dei iudicio incidens in tribulationes, & angustias; atque ob id quærens sapiens consilium, quò evadat urgentia mala; frequenter non invenit sapientiam sibi bene consulentem; sed suis consiliis finitur semper in pejora prolabi. Cornel. hic.

Plus proficit correctio apud prudentem, quàm centum plage apud stultum. Prov. 17. 10. q. d. vir prudens ob divinas comminationes corde conteritur, & respiscit: stultus verò nò fame quidem, aut aliâ clade pulsatus sentit, aut ad frugem se convertit; sed in malitiâ obstinatè persistit. Ratio hujus sententiæ: quòd prudens sequatur ductum rectæ rationis. Itaque si verâ ratione ostendas eum errasse; veritati, & rationi, cedit; erratum agnoscat, & corrigit. Stultus verò non sequitur ductum rationis; sed phantasiæ, & concupiscentiæ: cui quia mordicus adheret, hinc ab ea non nisi multis verberibus avelli potest. Sicut canis os rodens, ab eo non nisi multis plagis avelli se finit. Tales sunt impii, de quibus queritur Jeremias 5. 3. *percussisti eos, & non doluerunt* &c. Cornelius hic.

Impius, cum in profundum venerit - contemnit. Prov. 18. 3. peccare, id est, non curat peccare. Vel contemnit se: quia pro quolibet vili dat se; ut avarus pro obolo, luxuriosus pro momentanea voluptate, superbu pro vanissima laude. Vel, contemnit Deum: quia à peccatis absorptus ipsum nec veretur, nec timet. Hugo Card. hic. Profundum malorum obstinatio est; induratio, desperatio, contumacia rebellio mentis est: in quod profundum cum quispiam venerit; contemnit Deum, contemnit seipsum, contemnit virtutem, contemnit gloriam, contemnit & penam; contemnit monitus salutare; contemnit omnem semitam, & compendia, redeundi. Sim. Cais. l. 13. c. 5.

Peccatum, quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum simul est, & causa peccati: quia ex illo oritur, unde adhuc peccatoris animus altiùs obligetur. S. Gregor. hom. 11. in Ezech. c. 3.

Ciconiæ, quæ in turribus, & campanariis Ecclesiarum, nidificantes, cum quotidie audiant pro mortuis pulsari campanas; nec avolant, nec terrentur: quia illas assidue audiunt. Sic obstinati peccatores, cum quotidie pro mortuis audiant pulsari campanas, consuetudine illâ sonitus timorem amiserunt. Diez.

Mors.

§. III.

§. III.

Obsinatio deploratur.

Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur &c. Joan. 3. 4. Mirabile imò miserabile! Ninivite ad duo verba Jonæ induerunt se cilicio: & totâ die verberant aures nostras sacra verba; & tamen non movemur Hugo Card. in Gen. 9. 13.

Estò quosdam aut stulta præsumptio longæ vitæ, aut spes quandoque agenda pœnitentiæ, confoletur; nonne novum hoc monstri genus est, esse aliquos etiam in morte vitiosos? Salvianus l. 7. de provid. Dei.

Clamavit Dominus in ligno; & hic clamor tam fortis fuit, quòd petras scidit, monumenta aperuit, terram concussit. Attende, quàm duri sunt filii Adam; qui illum non audiunt, quem insensibilia audierunt. S. Bonavent. f. 10.

Quot sunt indurati filii Adam, ut frangi, vel flecti non possint: quia non movet eos prædicatio, nec frangit eos infirmitas, vel tribulatio; nec emollit charitas, vel devotio; imò nec ipsa Christi passio. Idem f. 46.

§. IV.

Obsinatorum exempla.

Adam ubi es? Gen. 3. 9. Acsi diceret: à quanta gloria in quantam ignominiam lapsus es? Interrogat ergo eum, ut quid peccasti? acsi ipsi innueret, ut responderet: dimitte Domine! Et nusquam parèe auditur; nusquam humilitas, nusquam pœnitentia, conspicitur. S. Dorotheus Abb. de renunt. Doctr. I.

Orate Dominum, ut auferat ranas à me. Ex. 8. 8. Fecit Moyses, quod poscebat; sed non Pharaon, quod promiserat. *Videns autem Pharaon, quod datâ esset requies, ingravit cor suum.* v. 15. Data requies obstinationem nutriebat, expertum discrimen ulterioris metum non creabat. Plus audaciæ ad nova delicta sumebat Pharaon, quia ranas evasit, quàm timoris caperet, quia sustinuit. Data salus stultam genuit fiduciam. Naxera in Jos. 8. 8. 13.

Et ecce unus de filiis Israël intravit ad scortum. Num. 25. 6. Zambri, cum passim fornicarij trucidarentur, ad Moabiticam ingressus est, gladiò Phinees occidendus. Oliva l. 9. Strom. §. noluit intelligere.

Consideraverunt, & inspexerunt me. Pl. 21. 18. Ut non aliquid transitorie, aut casualiter, fecisse videantur; dicit eos considerasse, & inspexisse; & cor eorum lapideum tot miraculis non fuisse mollium. Petræ scissæ sunt, terra tremuit, sol amictu se tenebrosò, nè tantum scelus videret, abscondit. Et proh dolor! iniquitas in ipsorum oculis defixa in sacrilegio suo mansit immobilis. Cassiodorus l. 1c.

Super quo percutiam vos ultra addentes prævaricationem? Il. 1. 5. Deus humano more loquitur instar parentis, aut heri; qui malè moratum filium, aut servum, verberibus castigatum, & non emendatum; quin po-

tius contumacem, & induratum, majora scelera committentem; quasi secum deliberans inducitur: quid faciam cum homine isto? castigatione fit insolentior. Sic loquitur Deus Ol. 6. 4. *quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Juda?* Sic interpretatur prædicta verba. S. Hieron. Cyrillus, Basil. Chrysof. Procop. Quorum peccata medicinam possunt admittere, eosdem minacibus verbis castigare solitus, *visitabo, inquit, in virga iniquitates eorum* Pl. 88. 33. Atiis, quorum deplorata est salus, tanquam de respicientia dubitet, atque desperet: *quid ultra, ait, percutiemini?* Sic legit cit. v. ex Sept. versione. Arcones hic Dilc. 7.

Tunc, jubente rege, indutus est Daniel purpurâ. Dan. 5. 29. Balthasar funestis characteribus confectus, ubi à Daniele intellexit, sibi imminere excidium, nè unam quidem profudit lacrymam; & tertium à rege proclamari iussit eum, à quo vita ejus fuerat conclamata. Nulli desumus, vel in funere, nisi nobis: curamus alium honorem, salutem nostram negligimus. Oliva antè citatus.

Ninive erat civitas magna itinere trium dierum; & cepit Jonas introire, & clamavit &c. Jon. 3. 3. Remigius hic. Per hos tres dies ambulavit per vicus, & plateas civitatis: & per quadraginta dies, à rege usque ad minimum, rigidam pœnitentiam subierunt. At Judæis Christus D. per tres annos prædicavit; per quadraginta annos dedit eis spatium pœnitendi. Ezech. 4. 6. *ditem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi.* Et tantâ Christi clementiâ obturati Judæi manserunt. Sylveira in Matth. 12. c. 24. q. 16.

Ve homini illi, per quem Filius hominis tradetur. Matth. 26. 24. O saxum Judæ cor, & proditoris mens, adamante, silice & ferrò, impenetrabilior. quem emollire nequiverunt sermones sapientiæ, æternum væ, & maledictionis irevocabilis sententia. Sed avertit homicida hic, & omnium sceleratissimus, faciem suam; nè colorum videret Dominum. S. Laurent. Just. de triumph. Chr. ag. c. 7. Seris ferreis, interioris domus obstruxit januas, vectibusque firmavit; quatenus ad salutem ejus cunctorum salus aditum non haberet. Id. ib. Sagaciter perpendamus, quanta sit fragilitas, & malitia, mentis humanæ; eò quòd Judas iste miserrimus, auditis tantis Christi sermonibus, & beneficiis ab eò susceptis, etiam in hac cœna, in communione & pedum lotionem; tot visis Christi miraculis; & in tam sancta, & electissima societate Apostolorum, tantò tempore conversatus; ad tantam impietatem dilapsus est; nec à concepto scelerato proposito extitit revocatus. Dionys. Carthuf. in Luc. 22. O cœcitatem proditoris! qui, cum ineffabilibus mysteriis communicasset, idem permansit; & divinâ mensâ susceptus in melius commutari voluit. S. Chrysof. hom. 36. in Matth. 26.

Cantavimus vobis, & non saltastis; lamentavimus, & non plorastis. Luc. 7. 32. S. Ambros. Sic explicat: eò quòd videantur Judæi nec psalmis primò, nec Threnis postea prophetiis, credidisse; psalmis ad præmia pro-

provocati, Threnis ab errore revocati. Non in triumphis, non in excidiis Judæorum secuta correctio est: qui divinæ indulgentiæ muneribus provocati levare mentem, corpus attollere, terrena deferere, cœlestia quarere debuerunt; & injuriis captivitatis attriti deslere peccatum; quod culpa esset author injuriæ. l. 6. in Luc. hic. Annuntiamus vobis regni cœlestis gaudium, & minimè corda vestra motu quodam alacritatis exultant: prædicamus triste judicium; & sensus vestri ad penitentiam in lacrymas non prorumpunt. S. Ambros. l. 80.

§. V.

Obsinatio quibus motivis vitanda.

Scripta erant in eo lamentationes, & carmen, & v. e. Ezech. 2. 9. Propter triplicem statum justorum, penitentiam reproborum, scripta erant in libro, qui Ezechielii datus est, carmen, lamentationes, & v. e. carmen laudantium, lamentationes confitentium; & illorum, qui penitentiam respuunt; quos expectat æternæ damnationis supplicium. Blesens. lib. de conf. sacram.

Dies v. e. super civitates munitas. Sophon. i. 15. 16. Quod scelus est, portas occludere, & propugnaculis se tueri? S. Gregor. p. 3. palt. c. 13. quid per civitates munitas exprimitur, nisi suspicte mentes, & fallaci semper defensione circumdatæ; quæ veritatis ad se jacula, non admittunt. Oliva t. i. conc.

14.

Sicut fulgur exit ab Oriente. Matth. 24. 27. Merito Judicis supremi adventus fulguri comparatur? ut enim fulgureo igne non tam perduntur mollia, sed magis dura, & resistentia: sic in judicis adventu majori afficietur plagâ, qui durior, & obstinatio, in peccatis fuerit. Bæza t. 3. l. 15. c. 12. hic.

Petra scisse sunt. Matth. 27. 51. Saxa scissa loquuntur, & suo modo provocant dura corda hominum, ut scindantur; & recogitent eum, qui talem pro omnibus sustinuit passionem. Sim. Cals. l. 13. hic. Terra mota est, & lapides scissi: ut denotetur, quod lapidem hominum corda per ejus Passionem deberent scindi: & quod iste Mundus, debet ad bonum Passionis Jesu morientis virtute moveri. S. Bernardus t. 2. l. 56.

Ex vobis unus diabolus est. Joan. 6. 71. Diabolus Angelus irreversibilis est; homo diabolus obstinatus. Et cum homo usq; ad finem per liberum arbitrium mutabilis maneat, diabolus à Christo non vocaretur; nisi ab ipso in malo proposito immutabilis præsciretur. Sim. Cals. l. 8. c. 31.

Parcite: obsecro fratres, parcite animabus vestris parcite sanguini, qui pro vobis effusus est. Horrendum cavete periculum; ignem, qui paratus est, declinate. S. Bernardus l. de Conversione ad Clericos.

Nullus lapis est ita durus, nullum ferrum, non quodcumque metallum; sicut ille homo, qui, dum Patrem piissimum conspicit sanguine cruentatum; & compassione non scindi-

Polyantha Sacra. Tom. II.

tur, nec ullâ pietate movetur. S. Bonavent. l. 56.

Non sumus Angeli, possumus & peccare; & subjacemus pœnalitatibus, & in valle miseriæ habitamus. Non sumus dæmones: possumus enim creata corrigere, & penitentiam agere pro erratis. Ab illis Angeli sunt liberi; in istis sunt dæmones obstinati. Nos, qui inter eos mediis positi sumus; nec liberi, ut Angeli; nec, ut dæmones, obstinati. Sim. Cals. l. 1. c. 20.

Multi volunt misericordiam, retinendo peccati miseriam: & orant misereri; sed nolunt emendari. Superbia maxima est, petere misericordiam, & in vitiis velle manere. Id. ib. c. 26.

§. VI.

Obsinatio quibus mediis molliatur.

Qui dat nivem sicut lanam &c. Pl. 147. 16. Videmus nivem, nebulam, crystallum; bonum est, ut ille spiraret, & solvat. Si enim ille non spiraverit, si non ipse duritiem glaciæ hujus dissolverit; ante faciem frigiditatis ejus &c. Cujus? Dei. Unde est ejus frigus? ecce deserit peccatorem, ecce non vocat; ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam; S. August. in Pl. 147.

Neque tu times Deum &c. Luc. 23. 40. Vide utrumque gratiam ejus (Christi) effulgescens: creaturam concussit, petras dissipavit; animam latronis petra durior, certâ molliorem effecit. S. Chryl. hom. in Crucem.

Oculi ejus tanquam flamma ignis. Apoc. 1. 14. S. Antonius Pad. in fragmento sup. Apoc. hic: id est, respectus gratiæ Christi, tanquam ignis glaciem, id est, cor peccatoris congelatum, dissolvens. Luc. 22. 61. *Respexit Dominus Petrum;* oculis scilicet misericordiæ, & *flevit amare:* quia dissoluta fuit glaciæ cordis ejus in lacrymas compunctionis. Sylveira hic.

Tanta est vis Sacramentorum eorum, quæ diebus istis recoluntur; ut possint etiam ipsa lapidea scindere corda; & pectus omne, licet ferreum, emollire sufficiant. Deniq; videbimus usq; hodie, ad Passionem Christi, non solum cœlestia compati; sed terram moveri, & petras scindi & in confessione peccatorum aperiri monumenta. S. Bernardus l. in Coena D. de Sac. Altaris.

Nullum cor tam lapideum, tam durum, vel obstinatum; quod Dominus statim, cum voluerit, ad veram penitentiam emollire non possit. Richard. à S. Viçt. tr. de potest. lign. atque solv. c. 3.

Miscellanea.

Deus indurat corda, non impartiendo malitiam; sed non impartiendo misericordiam. S. August. ep. 103.

Obdurare per justitiam dicitur Deus; quando cor reprobis per gratiam non emollit. At homo dicitur tunc obdurare cor suum, quando resistit inspirationibus. & vocibus Dei. S. Gregor. mor. l. 11. c. 5.

Obdurare dicitur Deus hominem, non ejus faciendo duritiem; sed non auferendo eam, quam sibi ipse nutrit. S. Isidorus l. 2. c. 5. sentent.

Quid cor durum? ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate molliatur, nec movetur precibus, minis non cadit, flagellis dura-

D d

dura-

duratur. Ingratum ad beneficia est, ad confilia infidum, ad iudicia sævum; inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, in humanum ad humana, temerarium ad divina; præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futura non prævidens. Et ut in brevi cuncta horribilis mali mala complectar; ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.

S. Bernardus l. 1. de confid. ad Eugenium c. 2.

Quatuor sunt hominum genera pertinaciter obflinatorum: scilicet tyrannus in retentione domini, hæreticus in pravitate fidei, assuetus verbis improprii; & possessor alienæ rei. S. Thom. Aqu. opusc. 37. c. 4. Vide plura. Peccator. Consuetudo.

TITULUS IV. OCCASIO.

§. 1.

Bona non negligenda.

Ex Veteri.

EO tempore ierat Laban ad tondendas oves - voluit, Jacob consistere fecero suo, quod fugeret. Gen. 31. 20. Nactus est Jacob magis opportunum tempus ad fugam: locus enim ille, in quo Laban occupatus erat in tonsione ovium, remotè distabat. Dionys. Carth. apud Sylveira in Matth. 18. c. 13. q. 3.

Festinauit populus, & transit. Jos. 4. 10. Cum flumen apertum viderent, & occasionem ad trajiciendum; mox eam arripuerunt. Diez D. 23. Pent. conc. 1. Exsiccatus erat Jordanis alveus, commodaque in terram promissionis transeundi dabatur occasio. Itaque festinauit &c. Multæ nobis dantur in coelum promissum transeundi occasiones: festinemus, & transeamus. Barradius D. 20. t. 2. l. 4. c. 14.

Elegit sibi quinque limpidissimos lapides. 1. Reg. 17. 40. Abul. q. 29. hic: accepit lapides, priusquam iret ad bellum: quia fortè postea, quando pugnaret, non reperiret lapides in loco, & interim posset eum percutere hostis: vel fortè non inveniret lapides convenientes sibi in loco; egebat enim durissimis. Didacus Nis. D. Sept.

In die bona venimus: quodcumq; invenit manus tua, da servis tuis, & filio tuo David. 1. Reg. 27. 8. Abul. hic: voluit petere tunc, & non alias: ed quod crederet, eum nunc magis esse dispositum ad dandum, quam alias: quia in illa die tondabantur greges, fiebat lætitia magna, & convivium; & cum hinc sine homines hilariores, esset magis dispositus ad dandum. Did. Nis. l. 4. c. 8. Vit. Abr.

Ex Novo.

Ecce leprosus veniens adorabat eum. Matth. 8. 2. S. Chrysof. quasi festinus occurrit ei. Abul. leprosus quasi ex quodam impetu, & cum quadam præparatione, veniebat ad Christum: quia timebat, ne intraret urbem, antequam curaret eum: & si introisset semel in illam, non licebat leproso illuc introire ad petendam curationem: ideo mansit paratus in loco suo, per quem Christus descensurus erat, ut

occurreret ei. Age tu in negotio animæ, quod ille circa corpus mortale. Did. Nis. D. Sept. §. 2.

Et ecce mulier Chanaanæ clamavit dicens ei: miserere mei &c. Matth. 15. 22. Non dimisit illum ulterius transire, quousque assecuta fuit omnia, quæ desiderabat. Stella in Luc. 7.

Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi. Matt. 20. 20. Advertendum, matrem filiorum Zebedæi accedere ad petendum, cum de Passione Christi sermo habitus esset, cum thesauri sanguinis Christi aperiantur. Quando tu memoraris Passionis Christi, illamque recogitas, & Patri proponis; tunc pete, quidquid voles. Ut petas à rege beneficia, expectas temporis opportunitatem, cum lætus est. Lætitia Christo Passio; mira dat in Passione beneficium. Osorius f. 4. D. 2. Quadrag.

Quid molesti estis huic mulieri? Matth. 26. 10. Cur Christus reprehensit Discipulis, Mariam laudat? R. ex verbis Christi: quia usâ occasione, Christo in propria persona beneficiendi. Sylveira hic q. 11.

Venit hora. Marci 14. 41. quasi dicat Apostolis: non illam prætereamus. Heu quam multi horam divinis actionibus aptam prætereunt; & eos incautos apta hora pertransit; & in omni vita ipsorum non revocaverunt præteritum; nec illud bonum, quod se ad agendum præbebat in hora dimissum. Affuit hora exercendæ humilitatis, & absque humilitate transire permiserunt: affuit hora, quæ parabatur fluvius lacrymarum, peccata delentium; & absque lacrymis, imò steriliter, illa hora defluxit; nec reinvenirent similem actionem. Præstat aliquando hora orandi facilitatem; & mora horam deduxit in horam; & illa in aliam: & sic per incuriam tempora multa vacua deflexerunt. Non ergo prætereamus horam nostram, quia nescimus horam divinam: hora nostra est actionis; dijudicationis est hora divina. Sim. Cas. l. 13. c. 7. hic.

Et hæc ipsa hora superveniens. Luc. 2. 38. Supervenit hora, quæ Christus advenit, cum quo in templo convenit. Supervenit anus ista, debita hora; quoniam ante illam venisset in cassum, quia scriptum est: *vanum est vobis ante lucem surgere.* Vanum porro cunctis viventibus factum erat, ante lucem, quæ Christus est, boni aliquid peregrisse: post venisse, protinus ignavia adscriberetur. Cœpit hora,